



~~1173.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
11-73. ———
SIGNAT. c1515CCCXIII.



VI. N. J. 44
DISPUTATIO LOGICA
DE
CIRCULO SYL-
LOGISTICO,

Quam,
Annunte Coelesti Numine
Sub
PRÆSIDIO
VIRI
Præ Clarissimi

M. JOHANN. JACOBI Hessleri /

Ulmâ-Svevi

Publicè defendendam

suscipit

RESPONDENS

JACOBUS SEEBER /

Mittvv. Misnicus.

Alumn. Elect. Sax.

Ad Diem 5. Octobr.

Anno

1 6 7 2.

In Acroaterio Minori.

WITTEBERGÆ

Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typographi.

CUM DEO!
AD CIRCULUM SYLLOGISTICUM
INGRESSUS.

Logicam, mentis cynosuram, inter alia i deo apud orbem eruditum tantò cluere encomiò, quòd beneficiò ejus grandes quandoq; & arduæ de re non unâ oborta rixæ, leviori, quod in diverbio habetur, brachio dirimi possint ac sepeliri; id nemo, nisi qui soli obloqvi contumaciter, & experientiæ, Veritatis, quæ est meridies, respondere ausit, in dubium vocabit. Enim verò quis Jesuitarum, in specie *Gretseri*, quocum non leviter agunt Theologi, tentatum, sed tentatum! Nescit Regressum? Nam cum infallibilius ille egregiè fallibilis Pontificis Romani, Capitis sui, infallibilitatem tueri conatus esset, in subsidium vocare tentavit Regressum Apodicticum; cujus tamen naturam, uti operâ Logicæ hoc scimus, & asserente hoc *Magnò & Philosophò & Theologò B. D. Dannbauerò in Id. B. Diss. sect. 2. art. XI. p. m. 177. aut ignoravit, aut sophisticè dissimulavit.* Cum igitur gens Suitica, quæ aliàs, uti ex actis *Colloqvii Ratisbonensis* palam atq; clarum est, singularem planè sibi in Logici attribuat peritiam, nostrosq; altò traducat superciliò, operam me haud perditurum esse spero, si id laboris in me suscipiam, atq; breviter circuli Syllogistici explanem naturam; hoc enim fiet modò, ut orbi innotescat erudito, Societatem (si Dils placet) Jesu arrogatam falsò in plurimis Logicam fovere peritiam; atq; tantùm tentasse, nobis, qui crassioris putantur nasi, persuadere, se in probanda Pontificis sive Ecclesiæ infallibilitate adhibuisse Regressum demonstrativum, cum tamen formalis fuerit circulus Jesuiticus, i. e. Sophisticus. Conatus DEUS secundet!

Thesis I.

Meditamur naturam circuli Logici. In offenso ut pergamus pede, conducibile erit, breviter (ne vastis Criticorum immergamur undis) indicasse, quâ notione vox Circuli occurrat apud autores, cum, neglectò hoc, proclivis aliàs teste *Philosopho lib. 1. Top. c. 15. l. 8. Top. c. 3.* ad errorem sit via.

II. Conspiciendam autem (1) vox circuli se præbet sub significato, quò notat coetum hominum in orbem collectum, qui collatis capitibus quasi circulum representare videtur. Ciceroni (2) teste Rudol. Goclenio in *Lexic. Phil.* denotat coronam. Et hanc significationem aliis etiam esse usitatam autoribus, observavit Exc. Andr. Bosius in *Dissert. de Gestar. coron. cap. 1.* Magnus ille naturæ Genius, Aristoteles, (3) nomine circuli *l. 1. Post. c. 12.* certum genus carminis insignivit. Themistius, celebris Aristotelis Paraphrastes, cum Aristotele ipso ortum interitumque rerum humanarum circulum vocavit, ad lib. 4. Phys. ita παραφραζων: Propterea, quod dici solet, non est pessimè usurpatum, nexa esse in orbem omnia, atque humanas res esse quendam veluti circulum. In Mathematicorum Scholis circulus (5) notat figuram, definiente Euclide *l. 1. Elem. 15.* planam seu peripheriam, ad quam ab uno puncto eorum, quæ intra figuram sunt posita, cadentes omnes lineæ rectæ inter se sunt æquales.

III. Atque huic acceptioni, uti multa adhuc alia media & instrumenta Logica, circulus noster Logicus acceptam referre suam originem. Quemadmodum enim in eo (verba sunt Job. Bapt. Monlorii in *Paraphras. ad cap. 5. l. 2. Prior. Analytic.*) sumitò initiatio ab aliquo puncto, progredientes per circumferentiam redimus ad idem punctum & principium: sic etiam in huiusmodi probatione prius ex sumtionibus progredimur ad conclusionem, & deinde ex conclusione regredimur ad colligendas sumtiones. Hinc factum, ut ob tactam similitudinem collectio nostra Syllogistica passim apud Græcos fuerit indigitata κύκλος, κυκλόδειξις κύκλω γένεσις, item δι' ἀλλήλων δείξις; apud Latinos verò Circulus, argumentatio circularis, probatio in orbem, circulatio, item probatio reciproca.

IV. Quoniam autem argumentatio circularis tam veros, quam nugatorios afficit Syllogismos, distinctiones quædam, materiam præsentem illustrantes, hic necessariò tangendæ & enucleandæ. Observandum igitur (1) κύκλον sive circulum alium esse materialem, alium formalem. Ille est, quando propositiones Syllogisticæ in se spectatæ nudè, seu ut menti obtruduntur

duntur, atq; eâ apprehenduntur, 'modò fiant præmissæ', 'modò
Conclusio, sub diverso tamen assensûs judiciô. Exempli locò
hîc conducit adducere verba *Becani. Tom. I. Opusc. 10. th. 19.* vitium
circuli formalis circa probationem de autoritate Scripturæ
S. & Ecclesiæ infallibili declinatur: *Non committi, inquit
ille, circulum, si unum per alterum probetur apud eum, qui alterum
admittit, alterum negat, verbi gratiâ, Calvinista admittit Scrip-
turam; negat Ecclesiæ infallibilitatem. Reclè ergo convincam il-
lum hóc modò: Scriptura, quam tu admittis, dicit Ecclesiæ esse
infallibilem, ergo revera infallibilis est. similiter, si quis idiota ad-
mittat iudicium Ecclesiæ; & tamen nesciat in particulari, libros
Maccabeorum esse divinos, facile persuadebo illi sine circulo, si sic
dicam: Ecclesiæ, cuius tu auctoritatem agnoscis, asseverat, libros
Maccabeorum esse divinos. Ergo non debes de hac re amplius
dubitare. Haftenus Becanus.*

V. Ex quibus verbis dispalescit; circulo materiali posse
idem, nempe autoritas Ecclesiæ per autoritatem Scripturæ, per
idem, nempe autoritas Scripturæ per autoritatem Ecclesiæ pro-
bari sine vitio, si scil. sub diverso hoc fiat assensûs iudicio. Et
quidem observante *D. Hornejo in Instit. Log. l. V. q. 8. n. 5.* ita, ut
*Scriptura S. credatur ut revelatio, autoritas autem Ecclesiæ ut ali-
quid revelatum; item ut autoritas Ecclesiæ credatur propter Scri-
pturam seu verbum ut propter causam fidei, Scriptura autem sive
verbum propter Ecclesiæ autoritatem, ut conditionem tantum
quandam (intellige certo in casu; absolutâ enim necessitate tes-
timonium Ecclesiæ ad cognoscendum DEI verbum haud requi-
ritur. vid. Magnif. Dn. D. Calovius Præceptor maximè venerandus in
Synopsisi Controv. potior. p. 53.) ad credendum requisitam.* Hic, cir-
culum formalem puta, est, quando propositiones Syllogisticæ
unæ & eadem sunt, item modò præmissæ, modo conclusio, &
quidem, ut uni eidemq; intellectus assensui judiciôq; de iis la-
to substant, v. gr. si aliquis vellet probare, infantes ideo esse
humidioris temperamenti, quia continuò stillant lacrymas, &
manendo in eodem intellectus iudicio, probaret, infantes ideo
continuò stillare lacrymas, quia humidioris sunt temperamenti,

is sine omni dubio in circulo ambularet vitioso. Et hunc "circulum Franc. Murcia disp. 2. q. 6. super Aristot. Poster. & Abra. de Raconis l. 3. Log. tr. 2. disp. 1. nominant uniformem, illum verò difformem.

VI. Observa (2) circulum ab autoribus etiam dividi in simpliciter & secundum quid dictum. Cum priori hæc divisio intimam vovet cognationem. Est enim circulus simpliciter dictus, cum præmissæ rursus ex conclusione probantur, uti hæc præcisè antea ex illis fuit cognita. Secundum quid verò dictus est, cum præmissæ ex conclusione rursus cognoscuntur, sed non ut hæc ex illis, verum aliunde innotuit. Observa (3) venit: Circulum alium esse perfectum, alium imperfectum. Ille est, in quo cum conclusione ambæ propositiones, istarumq; omnium convertentes monstrantur, & hoc fit per sex integros Syllogismos. Exemplum huc apponere augustia prohibet chartæ; videatur verò, si lubet apud Fort. Crellium in Isagog. Logic. l. 3, de Syllog. p. m. 429. Hic verò est, in quo ex conclusione vel una saltem præmissarum probatur. Utrumq; nos hîc attendimus, cum & materialis & formalis l. perfectè l. imperfectè possit ire in orbem. Observa (4) Circulum ex objecti diversitate alium esse demonstrativum, alium Topicum. Illæ est, quando in præmissis cum conclusione necessariis fit in orbem reditus. Hic verò est, quando idem fit in præmissis cum conclusione probabilibus. Uterq; vel est materialis, vel formalis, ita, ut de utroq; idem ferendum iudicium. Abimus ergo à placito Ægidii Rom. & Appollinaris, citantibus Connimbricensibus in lib. 2. Priorum c. 3. art. 3. putantium, perfectum circulum formalem in Topicis esse concessum, cum illud sit probabile, quod alicui tale videtur: jam verò secundum illud: Quot capita tot sensus; uni probabiliore videntur præmissæ, alteri conclusio; in orbem ergo probabuntur nunc præmissæ ex conclusione, nunc conclusio ex præmissis. Verùm, svadente hoc generali Syllogistico principiò, in omni Syllogismo præmissæ sunt notiores conclusione; nullibi ergo sine vitio possunt idem formale sustinere iudicium.

Hiscæ

VII. Hisce ita breviter explanatis, & quia supra assertum, circulum afficere partim veros, partim sophisticos Syllogismos, litus me haud araturum puto, si nunc ostendero, quoniam syllogismus circularis sit prohibitus, & qui non?

VIII. Circulum igitur materiale, secundum quid dictum, perfectum & imperfectum, (materialiter scilicet sic dictum) in Syllogismi veri adyta admittendum esse, variis stabilire possemus rationibus, nisi delectum habere cogeremur, unam aut alteram saltem delibabimus. Et (1) quidem talem circularem argumentationem frequentissime occurrere in Topicis, exemplis infinitis adstruere possemus, quid enim frequentius hisce & similibus Maximis: *A definitione ad definitum V.C. & contra. A diviso ad divisionem V.C. & contra. A subiecto ad adjunctum V.C. & contra &c.* Ex hisce Maximis omnibus genuini & fini Logicæ proportionati exstruuntur Syllogismi. *Vid. Aristot. 2. Poster. c. 9.*

IX. Non solum autem in Topicis, sed etiam (2) in Syllogismis necessariis reperire est circulum vitiō carentem. Cum enim ad scientiæ esse necessario cognitio causæ, quæ scientiæ quoque; ideò definitionem absolvit, veluti ex libr. 1. Poster. cap. 2. t. 7. palam est, requiratur, & verò multæ rerum multarum causæ, quæ tamen haberi possunt, lateant, quomodo in rerum istarum penetramus scientiam? Scilicet, ut sciamus, investigandæ sunt causæ. Quoniam verò vestigia causarum (vestigia inquam; nam causa, quæ causa est, ex effectu distinctè (licet confusè & ut conjunctum necessarium) sciri nequit) melius, quam in effectibus, conspiciantur nullibi, clarum est, argumentationem talem circularem, quò ex effectu causam veniamur & reciprocè effectum ex causa, non modò utilem esse, sed etiam, quod non veremur dicere, necessariam. Unicò exemplò res omnis erit in propatulo. Qui avet scire, an stellæ aliæ aliis existant propinquiores, (exemplum hocce, quia Aristotelis & Interpretum ejusd. tritum, novum præter necessitatem huc non trahimus) an verò unius sint altitudinis, illum necesse est confugere ad stellarum proprietates, [quas, inter scintillationem & non-scintilla-

illationem apparentem, non realem, vid. B. Sperlingius in *Instit. Phys.* l. 3. c. 4. q. XI. p. m. 471. oculis usurpans colligo, quasdam stellarum longinquiores, propinquiores quasdam esse, propterea, quod illas absq; oculorum, quam nimia infert distantia, nutatione, quâ stellæ scintillare nobis videntur, non attingamus, has autem sine tali titubatione percipiamus. Hinc in planetis, quia scintillulæ non apparent tales, prope illos esse concludo hõc modõ:

Quicquid non scintillat, prope est.

Atqui planeta non scintillat. E.

En primam hîc habes demonstrationem. Ubi non scintillationem, quia oculis hanc usurpo, propinquitatem notio-rem judico, suspicor igitur illam effectum, hanc causam esse, sed sub formidine adhuc dum oppositi; nondum enim, prout talia sunt sub notione effectûs & causæ distinctè cognovi, sed pro conjunctis habeo necessariis. Cùm autem comperiar hæc duo conjungi hîc & nunc, quod primum est; conjungi sæpe, quod secundum, conjungi semper, quod tertium. Igitur alterum effectum, alterum causam esse judico. Quia autem non scintillationem video, propinquitatem non: Illam notio-rem hanc ignotio-rem statuo; item quia non ideo aliquid prope est, quia non scintillat, sed potius ideo aliquid non scintillat, quia prope est, fero tandem judicium: non-scintillationem effectum & propinquitatem causam. & ita in circulo ambulans concludo:

Quicquid prope est, non scintillat.

Atqui planeta prope sunt. E.

In priori Syllogismo ex non-scintillatione illata est propinquitas, in posteriori verò ex propinquitate non-scintillatio. & hoc quidem sine omni vitio; Enim verò ex non-scintillatione tanquam necessario conjuncto infertur propinquitas; ex propinquitate verò tanquam ex causa infertur non-scintillatio, diversum Ergo, uti palam est, inter has propositiones intercessit formale judicium, quod circulum impedit nugatorium.

X. Circulum materialem admittendum esse probamus (3) ex possibili & experienciâ multâ comprobato, circa quandam
dam

dam propositionem, ex quâ infertur alia & ex hac rursus prior apud hunc consensu, apud illum dissensu. Sit exemplum. Neget quis animam nostram esse incorpoream, concedat verò, eam esse immortalem, ei firmiter ex hac probabitur incorporeitas. Sit vero alius inficiens immortalitatem & concedens incorporeitatem, nihil impeditur, quo minus huic ex incorporea natura demonstrem rursus immortalitatem. Nam (verba sunt *Murcie disp. 2. in 1. Post. anal. q. 26.*) potest fieri Regressus à consequenti cognito independenter ab antecedente ad ipsum antecedens, quia non fit regressus ab eodem eodem modo cognito. Nam quando probamus consequens per antecedens, non cognoscitur consequens dependenter ab antecedente; deinde verò probamus antecedens per consequens sumtum independenter ab illo.

XI. Admissionem (4) circuli materialis svadet Collatio s. parallelismus locorum S. Scripturæ, quando locus unus explicatur & illustratur ex altero & contrâ. Non enim, tradente *Theologo Philosophorum Decore B. Danbauero in Hermenevt. sac. p. 346.* putandum est, fore, ut circulus (scil. vitiosus) committatur, si unus locus alterò illustretur, nam ut in eodem cælo luna obscurior ac luce tenuior illuminatur à Sole Synuratio. Ita una Scriptura obscurior in eodem S. codicis cælo ex alterâ clariori ac homogenea exponitur. Sed *σύνκρισις* hæcce est verissima sanæ interpretationis clavis. vid. *Danbau. l. cit. p. 342.* Accedit ad hanc rationem praxis ipsa in Scripturâ S. observata. Sistat nobis Deus duos Prophetas, sufficiente ad testificandum virtute instructos, quorum ille testimonium perhibet de hoc, & hic iterum de illo, uti Johannes Baptista Christum esse Messiam, & Christus rursus Johannem esse Prophetam testificati sunt Joh. 1. v. 7. & Luc. 7. v. 26. circularis utiq; hæc est probatio, quem autem non prohibet Reverentia Scripturæ S. exhibenda? quò de summo disputatore JESU Christo tale vitium commissum præsumat. Et reverà propter iudicium formale diversum de utroq; testimonio ferendum, exspirat circulus sophisticus, remanetq; solùm materialis, quod pulchrè ostendit *D. Hornejus in Instit. Log. lib. 5. q. 8. p. m. 533.* Nam si ita, inquit, probetur. Petrum Prophetam ex gr. Vera do-

B,

cere,

cere, quia Jacobus Propbeta id testatur, Jacobum autem verum testari, quia Petrus ei vicissim veritatis testimonium perhibeat, formalis profecto & ineptus circulus est, cum tota probatio non alia sit, quam si dicas, Petrus vera docet & verus Propbeta est, quia vera docet & quia verè est Propbeta. At quando in exemplo allato additur, utrumq; aliàs etiam habere vim sufficientem, quâ doctrinam suam comprobet, tum v. gr. Petro de Jacobo testanti creditur propter ejus miracula & Jacobo rursus de Petro propter miracula, quæ Jacobus facit, nec vitiosus circulus est. Sic etiam Johanni Baptista testanti de Christo credebatur propter ejus admirabilem nativitatem, angelî prædictionem & vitæ sanctimoniam &c. Christo autem vicissim testanti de Johanne non præcisè propter testimonium Johannis de ipso, sed propter divina Christi ipsius miracula, aut aliud aliquid simile.

XII. Duo sunt præcipua, quæ in nostram sententiam vibrantur tela, alterum impossibilitatis, incommoditatis alterum. Verùm vulnerabit neutrum & clypeo veritatis avertetur utrumq; facilè. Illud, quantum perspicui integrum est, hoc sonat modò: *Omnis is, qui concedit idem esse prius & posterius, notius & ignotius, impossibile quoddam admittit. At qui omnis concedens circularem probationem, admittit idem esse prius & posterius, notius & ignotius* E. Major robur suum sibi adsciscit ex Aristotele l. 1. Post. c. 3. t. 23. ubi ait: *ἀδύνατον ἔστι τὰ αὐτὰ τῶν αὐτῶν ἀνα πρότερα καὶ ὕστερα εἶναι.* Minor patet itidem ex Aristotele l. 1. Post. c. 2. ubi ad demonstrationem (requiritur hoc ad omnem Syllogismum, ut principium aliquod generale, etiam ad illos, qui de rebus formantur fidei, quamvis in hisce evidentiore fortè non sint. vid. D. Horneus loc. cit. p. 530.) exigat, ut sit ex præmissis prioribus & notioribus. Quare præmissæ ut existant priores & notiores conclusionem, necessum est. Quod si itaq; vel alterutra, vel utraq; præmissarum per conclusionem iterum demonstratur, quod in circulo sit, necesse est, ut sit utraq; præmissarum & prior & notior. Evadet igitur una eademq; conclusio & prior & posterior, notior & ignotior præmissis. Quod impossibile esse à nullo negatum iri existimo.

Resp.

Resp. quâ avertitur hoc telum, non ita longè petenda est. < Recurramus modò ad leges oppositionis in aprico jacentes. Nempe impossibile est idem esse prius & posterius &c: scilicet ipso; eodem scilicet modò, diverso verò modò idem possibile esse, negamus. Hinc communiter distinguunt Interpretes cum ipso Aristotele loc. cit. inter πρότερα καὶ ὕστερα πρὸς ἡμᾶς ἢ ἀπλῶς, seu inter πρότερον ἢ Φύσει ἢ πρὸς ἡμᾶς πρότερον. Jungere his possumus, si de utroq; membro Majoris distincte loqui velimus, quæ lib. 1. Physic. 1. t. 2. habentur, ubi parili ratione inter γνωριμώτερα ἢ σαφέστερα ἡμῖν καὶ Φύσει Philosophus distingvit. His ita profundamento jactis, applicatio haud erit difficilis. Nempe quando ex effectu demonstramus causam, gerunt hæc duo schema non causæ & effectus, quatenus talia sunt, sed solum representant faciem duorum conjunctorum ac necessariò coherentium, & quoniam unum ex iis à nobis usurpatur sensibus, scilicet effectus, alterum verò non, scilicet causa. Hinc fit, ut effectus, incipiente quippe nostrâ notitiâ à sensibus, nobis sit notior. Causa verò, quia ab hac in esse suo dependet effectus, naturâ notior est. Ex effectu igitur ut notiore NOBIS colligimus causam, ex hac verò, ut notiore NATURA recolligimus effectum. Eni ergo ἕτερον ἵκον. ὅπερ εἶδει δεῖξαι.

XIII. Hoc, telum puta incommoditatis, ita informari potest. Quidem per idem demonstrant, nugantur. Atqui in circulo ambulantes hoc agunt. E. Major propriâ radiat luce. Minor verò stabilitur sic: Nam circulum admittentes dicunt aliud nihil, quàm conclusionem esse veram aut necessariam, quia vera aut necessaria est. Enim verò præmissæ si veræ & necessariæ fuerint; conclusionem etiam veram aut necessariam esse judicamus. Jam verò si ex conclusione aut unam aut utramque præmissarum recolligimus, una ex antea præmissis occupabit locum conclusionis, jata conclusio illa vera aut necessaria dicetur, quia præmissæ, quarum altera est illa ipsa conclusio, quæ in primo inferebatur Syllogismo, pro veris aut necessariis venditantur. Ostendere ergò aliquid per circulum, aliud erit nihil, quàm monstrare, conclusionem esse veram aut

necessariam, si ipsa est vera aut necessaria. Hoc si jam non est absurdum, aliud dabitur nullum. *Quis enim, inquit Schegkiius l.2. de Demonstrat. p. 46. tam stupidus aut tam vecors esset, qui demonstrationem putaret esse, si quis dicat: Si ipsum sit, idcirco esse ipsum? Facillimum erit hoc modo omnia demonstrare.* Telum hocce clypeo veritatis hunc avertimus in modum: Scilicet demonstretur causa per effectum in priori Syllogismo, & vicissim idem effectus per eandem causam in altero Syllogismo, ut supra ostensum, non tamen aut aliquid incommodi sive absurditatis sequetur; aut idem per idem, nugas quod redolet, demonstrabitur; Cum enim in priori Syllogismo per effectum ostendimus causam, fit hoc non distinctè & qua talia sunt, sed confusè & quâ ut necessariò existunt cohærentia. In posteriori Syllogismo verò demonstramus effectum per causam, non quâ amplius nuda cohærentia sunt, sed quâ se distinctè respiciunt, ut causa & effectus. Adeoque uti perspicuum, nî fallor est, diversum de iisdem erit formandum intellectus judicium, quæ diversitas coccysum s. idem per idem effugit.

XIV. Ostensum, pro ratione instituti, hætenus est, non omnem circulum esse indifferenter explodendum, sed potius quendam admittendum. Nunc lustrandæ breviter sunt rationes svadentes. Circulum formalem cachinno esse excipiendum. Hic autem hoc fit modo: Sicut in circulari motu non ab uno in alium locum, sed ab eodem in eundem revertor: ita etiam in circulo Sophistico non à conclusione prout vel novam terminorum induit penetrationem, vel per novum medium, sive ut *Franc. Toletus in Commentario in lib. I. Post. c. 3. q. I. p. m. 311.* vocat, *per novam intellectus speculationem.* Zabarella per *novum examen mentale,* & Crellius, per *judicium novum medium* nobis innotescit, redeo ad præmissas; sed ab eadem, ut præcisè sub eodem intellectus judicio cognitâ ad præmissas revertor.

XV. Et talis cum tali, qui cum adhibet, est rejiciendus ac explodendus. Dabimus rationes. Esto I. ratio. Omnis Conclusio ex præmissis elicita, quâ talis est tantum ignotior ac
evie

inevidentior præmissis quàm talibus, non verò simul notior ac e-
videntior. Nulla conclusio circularis est tantùm ignotior ac
inevidentior præmissis quàm talibus. E. Nulla conclusio circula-
ris est conclusio, putà verè Syllogistica. Si verò hoc ita est,
certè omnis proferens circulum formalem, præ se feret ac men-
tietur tantùm Syllogismum, nullum autem est formaturus. Ma-
jor prob: quia Syllogismus omnis est instrumentum Logicum,
verum in profundo latens puteo, eruens; hoc autem aliter fi-
eri impossibile est, quàm ut processus à notioribus instituat
ad ignotiora, cum ignotum per ignotum erui nequeat, ambo
namque ignota manent. Minor robor accipit inde, quia con-
clusio circularis omnis fit una ex præmissis, notior ergo eadem
fit necesse est. Cum autem eadem sit præcisè conclusio, quæ
non aliunde innotuit menti, putà vel per novam penetratio-
nem terminorum, vel per novum medium aut discursum, ne-
cesse est, ut simul sit ignotior & notior, & inevidentior & eviden-
tior; quod *ἀδύνατον* prorsus.

XVI. Esto ratio II. Quicumque rem dubiam non probat
aliter, quàm sic: Hoc est, quia est: ille non nisi nugas vendit.
Arqui omnis utens circulo formali, rem dubiam non probat a-
liter, quàm sic: Hoc est, quia est. E. Major est in propatu-
lo. Nam si hæc ratio probandi: Hoc est, quia est, obtineret
locum, jam diu hostes veritatis super hanc triumphassent. Pon-
tificius jam diu vicisset clamando: Ecclesia est infallibilis,
quia Pontifex, Ecclesia Repræsentativa, est infallibilis. Minor
probatur, quia præmissæ probant conclusionem, & conclusio
rursus præmissas, quæ ratio probandi nullam aliam ostendit fa-
ciem, quàm hanc: *Hoc est, quia est.* Quod pulchrè deduxit
Franc. Toletus, loc. cit. p. 310. exemplo A & B. Nos apponemus
clarius. Ostendit quis rotunditatem terræ ex gravitate & hanc
rursus ex rotunditate. Quid probabit quæso aliud, quàm ter-
ram esse rotundam, quia rotunda est. *D. Hornejus ex Connin-
bricensibus hoc ita exprimit: Si conclusio, prout præcisè nota est ex
præmissis aliquibus; præmissas ipsas rursus probat, ratiocinatio*

is est: Conclusio est vera, si vera sunt premissa, haec autem sunt vera, si conclusio vera. Conclusio ergo vera est, si vera est.

XVII. Judicium autem, quando disputatio instituta est κατ' ἀλήθειαν, de circulo formali commisso, non est petendum ex animo scientis aut nescientis, sed ex natura potius principiorum in Syllogismo adhibitorum. Unde si vel maximè aliquid à quodam aestimaretur pro causa, alterum verò pro effectu, atq; sic unum demonstraretur per alterum; neutrum v. horum tale quid esset, certè sic propterea non declinaretur circulus nugatorius. Quare vanum est effugium *Becani in Tract. de Circulo Calv. in Manual. l. 3. p. 939. Non fore inqvientis, circulū, si unum per alterum probes apud eum, qui alterum admittit, alterum negat.* Verum quidem hoc est in disputatione κατ' ἀνθρώπων, sed non sufficit dicente *D. Dannbawero in Hodom. Pap. Phant. l. 1. p. 291. ad rem & plenissimam conscientiae convictionem; in rebus puta Theologicis.*

XVIII. Ex hisce breviter sic pro instituti nostri ratione expositis, applicatio ad rationem argumentandi, Romanensium, quam in probanda Scripturae S. autoritate adhibent, facile poterit fieri. Nempe dum Pontificii ex Ecclesiae autoritate ac infallibilitate, Scripturae S. autoritatem & infallibilitatem; & ex hac vicissim Ecclesiae autoritatem & infallibilitatem deducere solent, certè sic procedentes non possunt non committere circulum Sophisticum, quod ex applicatione circuli formalis antè declarati nunc patebit.

XVIII. Quamvis autem (ut haec ὡς ἐν παρόδῳ dicam) *Fratres Walenburgici Batavi* non ita pridem in scripto opposito *Concussoni Pontificiae fidei Viri Excell. Herm. Conringii* probandi modo in Ecclesia Pontificia aliàs usitato, ubi infallibilitas Ecclesiae pro principio habetur, ultimum Vale tentarent dicere, tamen si Celeberrimorum aliàs Doctorum pontificiorum cohors *Greg. de Valentia, Sparetius, Tannerus, Gretserus, Becanus* aliq; inspiciatur eò penitus, in clara erit meridie positum, eos intentatum à nobis ipsis circulum vitiosum devitare nullà ratione posse

posse. Illi enim, dum principium nostrum primum complexum: *Quicquid Scr. S. asserit, infallibiliter verum est*, impugnatum cunctis aliud prius atque notius substituere conantur, nimirum hocce. *Quicquid Ecclesia representativa sive Pontifex Romanus asserit, infallibiliter verum est*. Hoc principium si esset, ab omnibus penetratis tantum terminis, emendicaret assensum, ut reliqua faciunt principia; cum a. hoc fiat minimè, illicò inferitur, principium illud non esse, quia insuper neque ex ratione, neque revelatione nobis innotescat. vid. hoc probantem B. Dannhauserum in Id. B. D. p. 174. seq. Igitur optimo Jure exigimus à Pontificiis hujus propositionis probationem: Argumententur igitur sic: *Quicquid Ecclesia Representativa asserit seu determinat, id infallibiliter verum est. Atqui, Omne id, quod Scriptura S. asserit, infallibiliter verum esse, determinat Ecclesia Representativa. E. omne id, quod Scriptura S. asserit, infallibiliter verum esse, verum est*. Nunc Majorem Orthodoxi inficiantes, Pontificii per conclusionem eam probant hōc modō: *Quicquid Scriptura S. dicit, infallibiliter verum est, Atqui omne id, quod Ecclesia Representativa determinat, infallibiliter verum esse dicit Scriptura S. E. Jam sine nova terminorum penetratione, sub eodem formali assensu judicio, Conclusio prioris Syllogismi. E. Quicquid Scriptura S. dicit, infallibiliter verum est, fit beneficio circuli Major propositio posterioris. Adeoque eodem respectu simul fuit notior & ignotior, prior & posterior. Quod si fit, vitiosus necessario nascitur circulus. Quod a. dicta propositio in utroque Syllogismo idem nactum sit assensus judicium, patet inde: nam in priori Syllogismo sumitur ut aliquid dependens ab Ecclesia s. Pontificis autoritate, eodem modō & in posteriori, quia Scripturae autoritas sine Pontificis deciso nulla est secundum Romanensium mentem.*

XX. Judicium ex dictis etiam fieri potest: Nos & hāc in parte Calvinianos Circulum vitiosum à Becano. l. cit. nobis objectum facile posse declinare. Videamus, inquit Jesuita, an Pareus se possit expedire à circulo. Igitur quaro, unde probas
Paree,

Paree, Evangelium esse verbum DEI? Ex privato meo spiritu. Sed unde probas, hunc tuum spiritum esse à DEO? Ex Evangelio Johannis, oves meae vocem meam audiunt. Sed unde scis, hoc Evangelium esse verbum DEI? Ex privato meo spiritu. Sed unde constat, hunc tuum spiritum esse à DEO? Ex Evangelio Johannis. Sed si negem hoc Evangelium esse divinum, unde probabis? Ex privato spiritu, qui mihi hoc testatur. Sed cum ille spiritus suspectus sit, unde probas à DEO esse? Jam saepe dixi, quid mihi molestus es? Noli irasci bone Vir. Non vides, te in circulo obermre? Quamvis in hisce plura accuratiori limâ essent digna, tamen quia religio nobis est, falcem in alienam immittere messem, id unicum agemus, quod in tali probatione nullum liceat reperire circulum Sophisticum. Quando n. nos ex privato spiritu, qui nihil aliud est, quàm Scr. S. efficaciam sensus, probamus Evangelium Johannis esse verbum DEI, & ex verbo DEI rursus efficaciam sensum, tunc hoc non fit sub eodem formali assensûs judicio, sed diverso; Spiritus n. privatus est saltim nobis, non Naturâ, notior Verbo DEI. Verbum v. DEI Naturâ, non solum nobis notius est. Ex talibus v. si in orbem fit probatio, non ns. materialis oritur circulus. Qui à Pontificiis ipsis nobiscum approbatur. Conf.

B. Meisnerus in Philos. Sobr. Part. 2. Sect. 2.


cap. 3. quæst. 1.

Ung VI 73

ULB Halle 3
004 108 515





429

OGICA]

SYL.

CO,

mine

O

DBI Heszletn/

BBER/

ri.

Acad. Typographi.